

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Promptuarium allegoriarum sacrarum praecipua fidei christianae capita illustrantium: indice quadruplici instructum post editiones 5 revisum, iam septimo recusum

Botsack, Johann

Francofurti ad Moenum, 1678

Caput XXII. De morte

[urn:nbn:de:bsz:31-142795](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-142795)

CAPUT XXII.

DE

MORTE.

MORTIS FIGURA IN ARIETE

1596. *Illo, Dan. 8, 4. qui cornibus ventilavit contra occidentem, Aquilonem & meridiem; & omnes bestia non poterant resistere ei, neq, liberari de manu eius, fecitq, secundum voluntatem suam, & magnificatus est.* Visio hæc ad literam de regibus Persiæ sonat, interprete angelo ipso, d.l. Daniel. 8. Allegoricè autem ad mortem applicari potest,

1. *Respectu cornuum.* Duo excelsa cornua habuit aries ille: Non desunt morti excelsa duo cornua: PECCATUM & LEX; conjunxit hæc cornua in horribili mortis capite iple Apostolus 1. Cor. 15. v. 56.

2. *Ventilationis, vel percussiois & eversionis.* Omnia ventilat & evertit mors: non humiles tabernas fastidit, non regum sturres. *In domo mortis nullus ordo,* Job. 10. v. 22.

3. *Plagarum & cardinum mundi.* Ventilavit cornibus ad occidentem, meridiem, Aquilonem; Mors similiter: Eos, qui sunt ad orientem verum Christum, mors non ventilat; Mors enim illis vitæ janua, Joh. 14. v. 19. cap. 11. v. 25. Luc. 1. v. 78. Ventilavit evertitque illos mors, qui sunt ad occidentem tenebrososum peccati positi, 1. Cor. 15. v. 56. vel qui cadunt *ad meridiem* perversæ cæcitatatis, in ipso meridie cæcutientes ad lucem Evangelii, & qui cadunt *ad Aquilonem* impenitentis finalis. Hos ventilat mors.

4. *Potentia.* Arieti nulla bestia nocere potuit, nul-

Aaa

la

la de ejus manu liberari. Morti nemo resistere potest, de morte nemo mortalium liberare potest, Rom. 5. v. 12. Psal. 89. v. 49. Sir. 40. v. 2.

5. *Magnificentia.* Magnificatus aries: Mors super omnem mundi magnificā evecta est magnificentiam, quam alto supercilio spernit, nec fatelles orci callidum Promethea auro revexit, ut alicubi Horatius.

MORS EST ASPIS SURDA.

1597. Psal. 58. vers. 5. 6. *Aspis surda aures obstruat ad vocem incantatoris.* Mors est aspis illa:

1. *Ob dentium occultationem:* Auctor Ælian. lib. 9. cap. 4. Aspides dentes suos membranulis involvere & vestire; Morsuras evolvere, venenum effundere. Mors habet quoq; dentes, *legem*, *peccatum*; dentium horum geminum constituunt ordinem: Sed hos dentes occultat mors, cum nondum mordet, involvit, pelliciens. In vitæ articulo exserit hos dentes mors, venenum lethale infundit.

2. *Ob nocendirationem.* Morsus aspidis lethifer est sine dolore; morsus mortis dulcis in peccato est, non videtur lethifer, Jac. 1. v. 14. 15. Postea fit lethifer: Peccatum blanditur sine dolore, mors stipendium peccati est cum horrore.

3. *Ob morsus incurabilitatem,* Auctor Ælian. lib. 7. cap. 54. Aspidis mortis morsus incurabilis nobis fuisset, nisi Christus absorbuisset, & mors morti factus fuisset, qui ut cœlestis *Ichneumon*, cum morte, ut aspidem bellum gerit ἀσπιδων, referente Ælian. lib. 3. c. 22. lib. 6. c. 38. lib. 10. c. 47.

Illa mortis aspis surda est, nec precibus flecitur, nec auro placatur, nec purpurâ mitigatur, nec scepro tuetur. Incantatores impii sunt, quibus æternum vivere volupe foret, Psal. 49. vers. 12. Non audit mors has

has incantatorum voces. Pii non sunt tales incantatores, qui mortem spernunt in VITA SUA JESU CHRISTO, Joh. 11. v. 25. mortem ultrò expetunt, ut cum Christo sint, Phil. 1. v. 23.

MORS EST INFELIX ARBOR

cognitionis boni & mali.

1598. *Protoplasti comedentes de arbore cognitionis boni & mali, mortui, tota cum eis posteritas mortua,* Rom. 5. v. 12. Gen. 3. v. 3. Infelix illa arbor mors est, ex qua Adamus & cum eo omnes homines comedentes mortui, experti sunt malum se commisisse, in malo, per malum, bonum se amisisse, spernendo bonum, malum præ bono eligendo.

MORS EST CARNIFEX

& tortor.

1599. *Et exactor ille,* Luc. 12. v. 58. Carnifex mors est.

1. *Carcer,* in quo homo detinetur, partim mundus est; neque enim ex hoc carcere quemquam exire permittit, nisi probè examinatum: partim ultimus ille agon est.

2. *Tortores* mortis sunt interni, propria conscientia; externi partim lex, partim ira Dei, partim ipsum peccatum est tortor, quod semper ob oculos versatur, Psal. 51. v. 5.

3. *Vincula* sunt tentationes diabolicæ, quæ nos circumdant in calce vitæ, Psal. 18. v. 5. Semper ergò time Deum, ut hos laqueos & vincula vites, Proverb. 14. v. 27.

4. *Potentissimus* est hic mortis princeps, qui omnes impiorum vires consumet, Job. 18. v. 13.

5. *Porta* hujus tortoris, in quibus scilicet torturam

ram & vim suam exercet, omnium terribilium terribilissimæ sunt, ex quibus tamen Deus suos exaltat, Psal. 6. v. 14.

6. Interiora ejus conclavia (si mors extra Christum vitam consideretur) sunt infernus, hic est mortis conclave. Libera nos ab hoc tortore, Jesu Christe, princeps & autor vitæ!

MORS CASTRA NOSTRA

movet.

1600. Num. 10. v. 5. *Si prolixior & concisus clangor fuerit, movebitis castra.* Mors talis clangor est factis prolixus, cujus sonus in terram omnem exiit, & in omnes homines penetravit, Rom. 5. v. 12. illa quotidie monet, castra movenda esse ex hoc mundi deserto, & aut inferno, aut cælo figenda.

MORTIS CAUSA ADAM

primus.

1601. *Simson eruit a domus utraq; columnâ, & se & principes Philistæos oppressit, interneccione delevit,* Jud. 16. v. 30. Adam in statu innocentie columnam habebat, cruit hanc per lapsum, & ita se suosque oppressit, mortis autor & fons factus, Rom. 5. v. 12. 1. Cor. 15. v. 49.

MORTIS ARMA QUÆ?

ex 1. Cor. 15. v. 55.

1602. *Aculeus mortis est peccatum.* Peccatum ergo τὸ τῆς ἀμαρτίας κέντρον. Hujus itaque metaphorsæ applicatio esse potest multiplex; ex vocabuli Græci enucleatione.

1. *Sensu physico.* In avibus, gallinaccis maxime, extrema pars pedis ad rapiendum apta hæc voce appellatur. Ergo rapacissima avis mors est, quæ ex inopinato

acu-

aculeum & κέντρον suum infert hominibus, vanitati
hujus vitæ intentis: Horsum non incommodè trans-
tuleris illud Eccl. 9. v. 12.

Deinde venenatorum aculei animalium etiam κέντρα
appellatur. Mors ergò hæmorrhoids est, scorpium est,
venenatum inferens centrum, antequam provideas.
Scorpium vile animal, magnū aculei venenati damno.
Sæpe leve videtur peccatum, quod tamen mortis,
quam parit, aculeum maximum est.

Tertiò: Nodi in lignis etiam τὰ κέντρα vocantur.
Infelix lignum arbor cognitionis boni & mali. No-
dus in hoc ligno peccatum & mors est; quem non po-
tuit frangere *Adamus primus*, fregit in crucis ligno
Adamus secundus, faciendo nodum crucis, & ne quid
ad nodi duritiem deesset, suam ipsius faciem, ut fili-
cem, percutientibus præbuit, ne quis dubitaret, mor-
tis nodum illum peccati que fractum esse, latus suum
aperire voluit, crucis lignum clavis per sanctissimos
pedes manus que transfixit, perforavit.

2. *Sensu mathematico.* Et sic κέντρον est circuli
medium, punctum, à quo omnes lineæ ad peripheriam
ductæ æquales. Peccatum est illud centrum. Homi-
nes in peripheria constituti sunt omnes, Rom. 5. v. 12.
Omnes in peccati tangit centrum, nec se possunt ex
hoc subducere circulo: Ob hoc peccati centrum in
hoc mundo aguntur homines in miseriarum circu-
lum.

2. Dein cuspidis cæli centra vocantur, vel poli; &
ita mortalitatis nostræ sphaera intra duos hos polos
vertitur, mortem scilicet & peccatum.

3. *Sensu politico.* Vox hæc notati. Calcar, instru-
mentum, quo equi ad cursum incitantur. Peccatum
ergò est mortis calcar. Mors ipsa est eques, aut equus pal-

pallidus, ut infra patebit, à peccato ad currendum incitatus.

2. Notat spiculum hastæ. Mors ergò hasta est, quâ petimur; spiculum, quo acuta est hasta, peccatum est.

3. Significat instrumentum tortoris. Et sic mors & peccatum tortores sunt. Vid. sup. 1599.

MORS GENERALE DILUVIUM,

grando, virga.

1603. Rom. 5. v. 12. *Ita omnes mors pertransiit.* Vel ut diluvium & inundatio obvia quæq; diripit, omnia diruit: Ita mors obvios sibi peccatores habet omnes homines, in quos pertransiit, ut pœna Dei justissima, cujus judicii exemplum & typus Assur, Esa. 30. v. 30.

1. Dominus enim *gloriosam vocem suam* sonare fecit in paradiso, quærens: *Adam ubi es?* Genes. 3. v. 9. cujus gloriæ fulgorem fugiens Adam, occultavit se, Gen. 3. v. 8.

2. *Extentum brachium suum* Deus ostendit, pœnas infligendo Adamo, totiq; posteritati. *Iram*, facti rationem ab Adamo exigendo; *flammam ignis consumentis*, Adamum sub arbores fugando, ut ignem & æstum illum fugeret; *pluviam & grandinem*, in Adamum omnis generis calamitates depluendo, imò MORTEM IPSAM, tanquam grandinem, quæ homines ut aristas verberat, decutit, in sepulchro, tanquam campo, putrescere facit. Mors est virga illa terribilis, ad cujus intuitum omnis homo, velut Assur ad virgam Domini, d. l. Esa. v. 31. exhorrescit. In tympanis & citharis hanc virgam in homines vibrat, d. l. Esa. v. 32. Tympana & citharæ significare possunt legem terrentem & conscientiam paventem; virga enim mortis cum spiritualibus his tympanis conjuncta

juncta est. O Domine Jesu, in illa hora des mihi gaudium & lætitiã, ut contemnam tympanorum illorum tristitiã, *ut in die judicii exultent ossa, quã contrivisti!* Psal. 51. v. 10.

MORS EST DRACO, FRUSTRÀ
persequens pios.

1604. Apoc. 12. v. 15. *Draco, qui mulierem devorare non poterat, misit ex ore suo post mulierem, aquam tanquam flumen, ut eam faceret trahi à flumine: sed adjovit terra mulierem, & aperuit terra os suum & absorbuit flumen de ore Draconis missum: Mors est Draco ille, qui pios devorare vult, sed non potest, vorat, non devorat, non deglutit, evomit, ut cetus Jonam, Jonæ 2. vers. 11. & in littus æternæ vitæ projicit.*

Aqua, quam ore suo evomit, est mors: ne dubitet ex ore Diaboli mortem egressam esse: *nequaquam moriemini ajebat, Gen. 3. v. 4. imò ex corde pleno invidiæ & mendacii, Joh. 8. v. 44. Sap. 2. v. 25. Mors autem aqua est & flumen, mortem enim & peccatum ut aquam imbibimus. Mors flumen:*

1. *Rapidissimum*, omnia tollens;
2. *Velocissimum*, ex inopinato adveniens;
3. *Potentissimum*, omnia devastans. Hoc flumine trahere vult pios mors, sed non trahit: tracti enim sunt à vitæ & principe vitæ Christo, Joh. 12. v. 32. Terra ipsa *juvat* pios, aperit os suum, sepulchra præbendo. Non enim cum morte resurgunt, qui mortui sunt in vitæ Christo, quorum in Christo abscondita erat vitæ, Coloss. 3. v. 3. Conf. Job. 19. v. 25. *Scio, quod Redemptor meus vivit.*

MORS DUPLEX.

1605. Animæ scilicet & corporis: *Bis infremuit*

Aaa 4

Chri-

Christus in resurrectione Lazari, Joh. II. v. 33. & v. 38. indicaturus utramq; à Christo mortem sublaram: corporis quidem illam in somnum mutatam, Joh. II. v. II. I. Cor. 15. v. 18. Animæ verò abelitam, inque vitam absorptam, Heb. 2. 14. 2. Tim. 1. v. 10. à duce vitæ, A. C. 3. v. 15. ipsâ vitâ, Joh. 14. 6. Imò vitâ æternâ, 1. Joh. 5. 20.

MORS EQUUS PALLIDUS.

1606. Apoc. 6. v. 8. *Ecce equus pallidus, & qui sequebatur eum, mors ei nomen, & infernus sequebatur eum.* Totum genus humanum equus ille pallidus est, (consideratum in statu peccati extra Christum) indutus veste peccati leprosa, cujus macula pallidæ. Allegor. ex Lev. 13. vers. 39. cujus tota facies pallida est. Mors autem equus est, qui omnibus hominibus insidet: Equitis hujus calcaria sunt lex, peccatum. Confer. Iupr. alleg. 7. ex 1. Cor. 15. v. 55.

MORTIS TYPUS.

1607. In Eleazaro illo, cujus fit mentio 1. Macc. 6. v. 46. *qui ivit sub pedes Elephantis & supposuit se ei & occidit eum*: Ita mors ex occulto obrepit, homines occidit, ex improvise prosternit.

MORS EST FUR.

1608. *Qui noctu veniens, stertente patrefamilias parietem suffodit, optima quæq; secum aufert*, Matth. 24. v. 43. Mors de nocte venit, quia improvise venit, quia incerta, quia inopinata venit: ideoque stertunt, dormiunt in utramvis aurem: Mors ergò corporis illam domunculam hastâ suâ perfodit, intrat, diripit omnia, nudû egredi jubens hominē, qui nudus ingressus fuerat in mundi hospitium, 1. Tim. 6. 7. Job. 1. 21. Ps. 49. 18.

MORS FALX ANGELI.

1609. Apoc. 14. v. 14. *Angelus super nubem sedens candidam, falcem acutam in manu habebat, quam misit*

in terram, quoniam messis terra aruerat. Viva est extremi iudicii imago: Angelus ille super nubem sedens Christus est, sedens super nubem candidam iustitiæ & integritatis, iuxta quam mundum est iudicaturus. Falx autem illa acuta mortis imaginem gerit, quâ homines demetuntur, arescentes jam & ad vitæ præscriptum terminum tendentes. Hæc *mortis falx acuta* est, quia acuit eam divina iustitia in lege, in peccato, quod veluti cos est, falcem hanc acutam reddēs: Stimulus enim mortis peccatum est, 1. Cor. 15. v. 55. *Acuta falx* est, non obtusa: omnes enim ab Adam usque ad nostra tempora demessuit homines. Ita in hac vita, sicut messe constituti sumus: ubi paterfamilias iusserit, demetendi sumus. Dies mortis cuilibet messis est & *activa*; metet enim, ut sementem fecit: si in carnem seminavit, corruptionem: si in Spiritum vitam, Gal. 6, 8. & *passiva*, messis dies mortis cuique est: demetetur enim, vel ut triticum colligendum, vel ut lolium comburendum, Matt. 13, 40. seq. & c. 3. v. 12. Infelicissima ibi impiorum messis erit. Vide ail. Job. 18. v. 16. *infra enim radices impiorum exarescent*, quia à terrenis relinquentur, qui toti pependerit à terrenis: sursum autem excindetur ramus, marcescente videlicet impiorum flore, amputatisq; eorum velut sterilium arborum, in die mortis ramis. Conf. ail. Esa. 16. v. 9. O Domine Jesu, faxis ut mea animalia in fasciculo viventium sit ligata! ex 1. Sam. 25. v. 29.

MORS EST LAPIS OMNIA
comminuens.

1610. Dan. 2. v. 45. *Lapis est abscissus de monte, sine manibus, qui comminuit testam & ferrum & es & argentum & aurum.* Ad literam lapis hic Christum notat, inchoaturum regnum suum. v. 44. d. I. Danielis:

Ille est lapis comminuens, offendens, Esa. 8. vers. 14. Luc. 20. v. 17. 18. Esa. 28. vers. 16. Per allegoricam accommodationem lapidem dicere possumus mortem ob duritiam inexorabilem, quæ nullis precibus frangitur.

Hic mortis lapis de monte cœli demissus & abscissus est, ut justa pœna hominibus inflicta. Comminuit hic lapis & testam & ferrum, & aurum & argentum. *Testa* significare potest homines pauperes & abjectos: *aurum & argentum* divites & splendidos: Omnes æquè comminuit mors, Psal. 89. v. 49. Statua hujus mundi conflata ex hoc ære, argilla, ferro, auro: Statuam hanc percutit lapis mortis in pedibus ejus ferreis & fictilibus: Verè *ferreos* sibi pedes fingit *humana securitas*: *Fictiles* solum habet agnoscitque *humana fragilitas*: Fictiles sunt in utero materno ficti, ex semine tanquam argilla coagulati, Job. 10. v. 9. O fragilem hominis testam! *Adi* experientiam quotidianam testem.

MORS EST INSTAR

1611. *Lapis, quo frontem Goliathi petiit David, eundemq, prostravit.* 1. Sam. 17. v. 49. *ut in terram caderet:* Mors talis lapis est, quo percutimur & in terram prosternimur, inque terram, ex qua desumpti sumus, Gen. 3. v. 19. Eccles. 12. v. 7. redimus.

MORS EST LACTUCA.

1612. *Israelitæ Aegyptio emigraturi, lactucas sylvestres & amaras comedere jubebantur,* Exod. 12. v. 8. Nobis quoque mundi hujus tenebricosissimâ Aegyptô & laboriosissimo ergastulô excessuris, lactuca sylvestris & amara mortis comedenda est: Mors est verè amara lactuca, 1. Sam. 15. v. 32. teste Agag. Sirach. 41. v. 1. T c l t i s

Testis Dioscorides, lib.2. de materia medica, c.166. lactucas sylvestres somnum inducere, levamenta laborum præstare. Mors somnum inducit & requiem præbet mortalibus, Apoc.14.v.13.

MORS EST LEPROA HÆRE- ditaria.

1613. *Giezi servo avaro lepra Naamanis adhesit, illiusq; semini in seculum: 2.Reg.5.v.ult.* Adam avarus ille Giezi est, non contentus sorte felicitatis suæ tam integræ & perfectæ: sapientiam itaque divinam affectavit, & vestes immundissimas peccari accepit, mortis teterrimam illam lepram sibi suoque semini accersivit, Rom.5.v.12. hoc est, posteris.

MUNDUS EST MORTIS

Offuarium.

1614. *Ezech.37.v.1. seq. Propheta in campum patentem & latum deductus est, ossibus repletum, quorum numerosa copia fuit, quæq; planè atefacta erant.* Mundus est campus ille latus & patens, ossibus hominum repletus.

PIORUM MORS NON

Mors.

1615. *Haman patibulum Mardocheo extraxerat, qui tamen in suum ipsius actus est patibulum, in foveam incidit, quam alii prepararat, Esth.7. vers.9.* Mors est commune hominum patibulum, ab infernali Hamano paratum, cujus invidiâ, Sap.2.v.24. operâ, Johan.8.v.44. mors in mundum, in omnes homines pervasit, Rom.5. vers.12. Idem tamen mortis patibulum ipsi Satanæ infelix lignum fit, quando inchoativè in morte piorum mors absorbetur, completivè in extremâ

tremâ resurrectione destructur, 1. Cor. 15. v. 56. per Christum, qui mortem morte suâ destruxit, incorruptibilem nobis vitam restituit, 2. Tim. 1. v. 10.

MORS EST INANE TERRICULAMENTUM piis.

1616. Marc. 6. v. 47. sequent. Vespera navis erat in medio mari, CHRISTUS solus in terra. Discipuli verò laborabant in remigando, vento adverso navigabant: CHRISTUS simulabat se præteriturum discipulos, qui tamen mari inambulabat, spectrumq; discipulis videbatur: Quocirca navem discipulorum ingressus Christus eos solatio refecit, inque ictu oculi ad litus appulit. Viva mortis piorum imago.

1. Vespera vitæ ille terminus est præscriptus, Job. 14. v. 5.

2. Mare mors est: O quam amarum mortis mare! quam profundum abyssò anxietatis. Conf. Zach. 10. v. 11. Sirach. 41. v. 1. quam terribile Christi distantia, quam nobis ita fingimus, cum eum in terra stare putamus, qui tamen nobis proximè adest, in morte solatium præstat, è morte liberat: non enim mors à Christo nos divellet, Rom. 8. v. ult.

3. In hoc mortis mari remigamus, laboramus, orando, ingemendo; Remigamus animæ corporisq; viribus animæ exitum meditando; oculos sursum tollimus, manus levamus, componimus pedes in lecto. Hoc pii hominis remigium videt & expertus est Salvator: & tamen præteriturus nobis videtur! Horum tentationes in morte illæ, à Satana intentatæ.

Verùm mari mortis suorum inambulat Christus, naviculam tandem cordis ingreditur, tempestatem sedat, & ad vitæ æternæ litus portumq; naviculam nostram

stram applicat. Mors saltem inane phantasma est & terriculamentum.

MORS EST QUIES.

1617. *Jacob moriturus super lectum pedes suos collegit*, Gen. 49. v. ult. Ergò ad quietem se composuit, nolens ultrà ambulare in valle lachrymarum, Psal. 84. Ideirò pedes composuit, ambulationis illa instrumenta, & quieti se didicit, Esa. 57. v. 2. cap. 26. vers. 20. Apoc. 14. v. 13. Per mortem enim pii ad verum quietis Sabbatum perveniunt. In hac vita nulla quies, Eccl. 6. v. 5. in morte contrà, Sir. 38. v. 24. Studeamus ergò ingredi ad illam quietem, Heb. 4. v. 1.

MORS EST COLOCYNTHIS.

1618. 2. Reg. 4. 39. *Mors est in olla, aiebant Prophetarum filii, cum colocynthides collegissent.* Mors est illa colocynthis, quam invenimus, & ab Adamo, ut & peccatum, accepimus.

1. *Ob amaritudinem*: fructus enim vehementer amarus profert, teste Dioscor. lib. 4. de materia medica, cap. 178. pag. 504. ita mors ipsa amara, fructus ejus amarissimi, Sir. 41. v. 1. fructus mortis per se consideratæ, sunt judicium & terror ejusdem.

2. *Ob ramorum latitudinem.* Instar enim vitis ramos colocynthis expandit: Rami mortis sunt mille modi mortis, quæ hominibus obrepit, quos homo non effugit. *Omnes enim morimur, & quasi aqua in terram*, &c. 2. Sam. 14. v. 14.

3. *Ob medicam operationem.* Fœtus tollere colocynthides, autor Dioscor. d. l. sup. Talis etiam mortis operatio, quæ indifferetim omnes tollit: Habet quoque virtutem dissolvendi, separandi: Mors animam & corpus dissolvit. Divitem à possessionibus dividit & sequestrat, voluptati deditum à volu-

voluptatibus, φιλότιμος ab honoribus & dignitatibus: unde quoque tam amara mors est colocynthis hujus generis hominibus, Sir. 41. v. 1. Psal. 49. v. 12.

Colocynthis habet virtutem absumendi: Mors naturalem pulchritudinem absumit, omnes vires depascit, facultates depopulatur omnes.

MORS EST SOMNUS, ET CUM
eo comparatur:

1619. 1. *Ob originem.* Somnus causatur ex vaporibus sursum è stomacho ascendentibus, meatus spiritibus animalibus præcludentibus: Mors ex fructibus illius venenatis vaporibus, quem infelici manu Adam cepit, ortum traxit: Quâcunquë die comederis, morte morieris. De causa somni Aristotel. lib. de somno & vigiliis, cap. 3. t. 13. c.

2. *Ob recreationem.* Omnium laborum memoriam deponit dormiens, & ita quieti se totum emancipat; Similiter pii quietem capiunt in morte à vanis hujus vitæ laboribus, qui aliàs vanitates passim ab Ecclesia appellantur, Apocal. 14. vers. 13. sacris interim litant studiis, nec enim quiescunt noctu vel interdiu, Apoc. 4. v. 8.

3. *Ob securitatem.* Dormientes securi sunt, nihil hostem timent. Psal. 3. *Cubabo, dormiam, quia Dominus sustentat me.* Similiter pii nihil habent, quod timeant. Anima eorum in manu Dei, Sap. 3. 1. in sinu Abrahami animi eorum, Luc. 16. Confer. Deut. 33. v. 3.

4. *Ob incertam evigilandirationem temporis.* Dormiens non scit, quâ horâ præcisè surrecturus sit: Resurrectionis nostræ diem certò scimus; quando, & quæ illa sit, ignoramus. Audiemus vocem filii Dei, tunc resurrecturi sumus, Joh. 5. v. 28.

5. *Ob dulcedinem.* Laboratoribus dulcissimus est somnus, Eccl. 5. v. 11. Dulcissima mors iis est, qui nihil nisi miseriae & animæ spirituales labores in hoc mundi ergastulo expectant. Hi cum Paulo ingeminant Phil. 1. *Cupio dissolvi, & esse cum Christo;* & cum Simeone, Luc. 2. *Domine, ἀπό θείας, nunc dimittis* (ad verbum *resolvis.*)

6. *Ob gravitatis illationem.* Somnus enim membris gravitatem inducit, auferendo scilicet spiritus animales, quorum beneficio motus cietur, perficitur, & agitatio; Omnes hominis motus impedit mors; motus animi & consilia, Psal. 146. v. 4. motus corporis & actiones quasvis. Sit summa: Somni causa salus animantium; De piorum morte verissimum est, eam esse salutis felicissimum auspiciam.

MORS SOMNUS ET DEI VISIO.

1620. 1. *In lapide obdormiuit Jacob in itinere, & vidit in somno scalam cælo appositam, angelosq; Dei ascendentes & descendentes,* Gen. 28. v. 12. Pii omnes Jacobitæ in hoc mundo peregrinantur, obdormiunt tandem; & reipsâ experiuntur, cælo scalam appositam, cum anima in cælestem Abrahami sinum defertur ab angelis, Luc. 16. Evigilans Jacob dicebat: *O quam sanctus hic locus! Hic porta cæli,* d. l. Genes. v. 17. Ita in resurrectione gloriosa pii portam cæli videbunt, per quam in hac vita fide solùm intrarunt. Rom. 8. v. 24. *Spe salvi facti sumus.*

2. *Ruth ad pedes Boozii dormiuit, ex aëdōq; somnō eidem conjugii fidem Boozus dedit,* Ruth. 3. v. 14. Ad pedes quoque Christi morientes dormimus, qui nostra sepulchra sanctificavit. Absoluto itaque mortis nostræ somno, nuptias nobiscum spirituales celebrabit, Apoc. 17. v. 7. & seq.

MOR-

MORTIS FENESTRÆ QUÆ.

1621. Jerem. 9. v. 21. *Mors intravit per fenestras.*
Mortis infelix janua & fenestra peccatum est, per
quod intravit in mundum, Rom. 5. v. 12. cap. 6. v. 23.
Sap. 2. v. 24. Gen. 2. v. 17.

MORS ET SEPULTURA SEMINATIO

quædam, I. Cor. 15. v. 43.

1622. 1. *Ager* est sepulchrum, in quo reconditur.
2. *Granum* est corpus nostrum, quod non fert fructum, nisi in terram ceciderit, Joh. 12. v. 24.
3. *Agricola* Deus est, qui falcem mittere jubet filium illum hominis, Apoc. 14. v. 14. triticum collegit in horreum, Matth. 3. v. 12.
4. *Fructus* hujus seminationis longè uberrimi sunt in corpore, in anima, I. Cor. 15. v. 43. 44. seq.

MORS INSTAR SICARII.

1623. *Incautum* Isboseth occidebant Rechob & Baena, in lecto decumbentem, 2. Sam. 4. vers. 5. 6. Incautos improvidosque homines, in lecto securitatis suæ decumbentes mors adoritur, conficit. Interim hastam occultat, ne deprehendatur ejus amaritudo, quam primum experiuntur homines, ubi aculeum senserint, animam corpusque dividentem, Sir. 41. v. 1.

MORS EST INSTAR SECURIS

aut venti.

1624. *Arbor, si ceciderit*, Eccles. 11. v. 3. Cadit autem arbor, aut putrescentibus radicibus, aut securi cæsa, aut vento postrata. Omnia morti congruunt:

1. Homines arbores sunt, qui per mortem cadunt.
2. Mors est putredo; mors est securis, quæ ad radices arboris applicatur, quæ exciditur, aut ut arbor & planta gloriæ, aut ut arbor putris & ignominia.

Mors

Mors est ventus, ut patebit infra, quo homines prosteruntur.

MORS NOSTRA EST SALUTARIS

pluvia.

1625. 2.Sam.14. vers.14. *Omnes morimur, & quasi aqua dilabimur in terram.* Mors ergò nostra se habet ad modum aquæ pluvialis, quæ à terra quidem absorbetur, inque eam dilabitur: Attamen fecundam eam reddit, frugumq; fertilem variarum: ita per mortem resolvimur in aquam & cinerem; terra absorbet nostotos, fecunda tamen erit eadem mortis nostræ pluvia, cum reddet mortuos, Joh.12.v.24. Apoc.20.v.13. Eta.26. *Ros viridis est ros tuus, v.19.*

MORS EST STIPENDIUM PEC-

cati, & quo sensu.

1626. Rom.6.v.23. Ergo peccatum est

1. Tyrannus & velut rex quidam, sub cuius signis militantes, hoc stipendio & ære merent.

2. *ὁ ψῶν* sunt edulia, quæ adduntur pani. Ergò quam nos intuemur oculisque usurpamus mortem, *ὁ ψῶν* saltem est: Solidus ille panis, quem peccatum suppeditat in morte, non usque adeò cognitus est: Nos miseri illam animæ corporisq; divulsionem saltem animadvertimus: Solidum peccati stipendium non cognoscimus.

3. *ὁ ψῶν* ab *ὁ ψῆ* dicuntur, quod est serò; serò & in vitæ vespera capiendum est mortis *ὁ ψῶν*.

4. Necessaria ad victum erant illa veterum *ὁ ψῶν*, quæ in milites erogabant: Ergò vides peccator, quis victus tuus sit futurus? Victus tuus & vita tua erit mors, nec tamen vives in morte, nec morieris in vita. Hoc stipendium & *τροφῶν* assignat Apostolus, Rom.6.v.23. Mors fugiet à morituris, Apoc.9,6.

Bbb

IN

IN MORTE TENTANTUR PII.

1627. Genes. 32. *Jacobo in patriam reversuro, occurrebat Esau: Jacobus valde sibi metuebat. Deum precibus ardentibus invocabat. v. 7. 9. 10.* Cum pii ex servitio mundi, tanquam veri Labanis, per mundum exeunt, occurrit illis in se malis Esau Satan, tentans eosdem, & varios scrupulos animæ injiciens, qui fide eximendi in Jesum Christum, qui nobis quoque suam (ut Jacobo d. l. v. 12.) beneficentiam sanctissimè promisit.

MORS EST VENTUS.

1628. *Ventus ingens è deserto domum evertit, in quâ unâ cum primogenito filii Jobi congregati erant, atq; ita mortui sunt, Job. i. v. 19.* Mors est ventus ille ingens, veniens ex sterili deserto peccati, domum unius cujusque concutiens & evertens, ut mortem oppetant omnes cum primogenito Adamo, cum quo omnes comederant & peccaverant, Rom. 5. v. 12.

MORS EST VERMICULUS.

1629. *Jona, qui cucurbitam excidit & exarescere fecit, Jon. 4. vers. 7.* Omnes homines instar cucurbitæ sunt, spe vitæ longioris velut luxuriares, in hujus mundi tentorio umbracula sibi figentes; sed votis frustrantur & mortis ille vermiculus præter spem, & ex inopinato vitæ cucurbitam depopularur.

MORS PIIS NON NOCET.

1630. Ezech. 9. v. 4. 5. *Vir ille percussor non nocebat piis, quorum frontes signo notate erant.*

1. Vir ille indutus Christus, ut supra indigitatum cap. 8.

2. Vir ille percutiens mors est, quia non parci, sic ut

ut nec viri illi pepercerunt, d.l. Ezech.v.f. quia senes
juxta juvenes que interfecit, d.l. v.6.

3. Signo autem notatos non tangebatur percussor:
Pii sunt illi signo notati, crucis nimirum & meriti
Christi, sicut & angelus ille cædis in Ægypto eorum
præteribat ædes, quorum postes sanguine Paschalis
victimæ tincti erant.

MORS NON EST à DEO.

1631. *Bonum semen seminaverat paterfamilias;
dormientibus hominibus, inimicus lolium interpolave-
rat, Matth.13. Bonum semen quoque fuit immorta-
litas illa in statu integritatis concessa: sed dormivit
Adam iustus à stygio scorpione, qui interim mortis suæ
virus incautis hominibus instillavit, Sap.2.v.24. Chri-
stus verò sanavit. Quâ fide nixi dicere possumus:*

Angar ab angue licet, tamen agni sanguine vivo,

Astra petoq, nihil languidus anguis obest.



CAPUT XXIII.

DE

RESURRECTIONE
MORTUORUM.

RESURRECTIO.

1632. Sicut hirundines per hyemem jacent mor-
tue: Æstate calore solis reviviscunt: ita homines
per sepulturæ hyemem jacebunt mortui, quos sol ju-
stitiæ Christus faciet reviviscere, æstate diei ultimæ.

Bbb 2

Aps,